BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 88v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

partus eius peperit masculum. Quis umquam
audivit tale. et quis vidit huic simile?
Numquid parturiet terra in die una. aut
parturietur gens simul? quia parturivit
et peperit syon filios suos. Numquid
ego qui alios parere facio ipse non
pariam dicit dominus? Si ego qui
generationem ceteris tribuo. sterilis ero.
ait dominus deus tuus? Letamini
cum ierusalem et exultate in ea omnes qui di
ligitis eam. gaudete cum ea gau
dio universi qui lugetis super eam.
ut sugatis et repleamini ab ubere
consolationis eius. et ut mulgeatis
et deliciis affluatis ab omnimoda gloria
eius. quia hec dicit dominus Ecce
ego declinabo super eam quasi fluvium
pacis. et quasi torrentem inundantem
gloriam gentium. quam sugetis.
ad ubera portabimini. et super genua
blandientur vobis. Quomodo si
cui mater blandiatur. ita ego con
solabor vos. et in ierusalem consolabimini.
Videbitis et gaudebit cor vestrum. et
ossa vestra quasi herba germinabunt. et cognos
cetur manus domini in servis
eius. et indignabitur inimicis suis.
quia ecce dominus in igne veniet.
et quasi turbo quadrige eius. reddere
in indignatione furorem suum. et incre
pationem suam in flamma ignis.
quia in igne dominus diiudicabit.
et in gladio suo ad omnem carnem.
Et multiplicabuntur interfecti a do
mino. qui sanctificabantur. et mundos
se putabant in ortis post ianuam
intrinsecus. qui comedebant carnem
suillam. et abhominationem. et mu
rem simul consumentur dicit dominus.
Ego autem opera eorum et cogitationes eorum
venio ut congregem. cum omnibus genti
bus et linguis. et venient et videbunt
gloriam meam. et ponam in eis signum.
et mittam ex eis qui salvati fuerint
ad gentes in mare. in affricam. in lydiam.
tenentes sagittam in ytaliam. et
greciam. ad insulas longe. ad eos qui
non audierunt de me. et non vide
runt gloriam meam. Et annuntia
bunt gloriam meam gentibus. et ad
ducent omnes fratres vestros de cunctis
gentibus. donum domino in equis.
et quadrigis. et in lecticis. et in mulis.
et in carrucis. ad montem sanctum meum
in ierusalem. dicit dominus. quomodo si in
ferant filii israel munus in vase mundo
in domum domini. Et assumam ex
eis in sacerdotes et in levitas dicit do
minus. Quia sicut celi novi. et terra
nova. quos ego facio stare coram me.
dicit dominus. sic stabit semen vestrum.
et nomen vestrum. Et erit mensis ex men
se. et sabbatum ex sabbato. Veniet omnis
caro ut adoret coram facie mea
dicit dominus. Et egredientur et vide
bunt cadavera virorum qui prevarica
ti sunt in me. Vermis eorum non morietur.
et ignis eorum non extinguetur. et erunt
usque ad satietatem visionis omni
carni. Incipit prologus Super

Eremias Ieremiam.
propheta. cui hic prologus scribitur.
sermone quidem apud hebre
os ysaia. et osee. et quibusdam
aliis prophetis esse rusticior
sed sensibus par est. Quippe
qui eodem spiritu prophetavit.
Porro simplicitas eloquii
de loco ei in quo natus est
accidit. Fuit enim anathoti
tes. qui est usque hodie vi
culus tribus ab ierosolimis dis
tans milibus. sacerdos ex sa
cerdotibus. et in matris utero